

Forfatter: Kierkegaard, Søren

Titel: Journalen CC

Citation: Kierkegaard, Søren: "Journalen CC", i Kierkegaard, Søren: *Søren Kierkegaards Skrifter*, Bd. 17, udg. af Niels Jørgen Cappelørn; Joakim Garff; Jette Knudsen; Johnny Kondrup; Alastair McKinnon, Søren Kierkegaard Forskningscenteret 2000 , s. 49v. Onlineudgave fra Søren Kierkegaards Skrifter: <https://tekster.kb.dk/text/sks-cc-txt-shoot-id655230e7-fcf8-4448-9adf-bbc1cfe084d1.pdf> (tilgået 13. juli 2024)

Anvendt udgave: Søren Kierkegaards Skrifter, Bd. 17

Ophavsret: Materialet er dedikeret til public domain. Husk dog altid at kreditere ophavsmanden.
[Læs CC0-erklæringen](#)

E. Jacobi

Cap. I

Jacobus dei et domini J. Chr: servus duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem. Omnem lætitiam habete, fratres mei, ubi in tentationes varias incideritis, scientes, virtutem fidei vestræ efficere patientiam; patientia vero bonum opus habeat, ut perfecti sitis et integri, in nulla re derelicti. Quod Si quis vestrum careat sapientia, roget a deo qui dat omnibus simpliciter, neque erubescere facit, et dabitur illi. Roget vero in fide non hæsitans. Qui enim hæsitat est similis undæ aquæ a vento commotæ et flando ex[c]itatæ. Ne credat ille vir se quid a domino esse accepturum. Vir duplex et inconstans in omnibus viis suis. Glorietur vero frater humilis in excelsitate sua, dives vero, in humilitate sua, nam ut flos herbæ præteribit. Oritur enim sol cum aestu, et arefecit herbam et decidit flos ejus, et pulchritudo vultus ejus perdata est. Ita etiam dives in viis suis flaccescet. Beatus homo, qui sustinet temptationem, nam probatus factus accipiet coronam vitæ, quam promisit deus illis, qui amant ipsum. Ne quis tentatus dicat: a deo tentor, deus enim a malis tentari nequit, ipse vero neminem tentat. Quisque vero tentatur, a suis cupiditatibus abreptus et deceptus. Mox enim cupiditas concipiens procreat peccatum, peccatum vero perfectum procreat mortem. Ne erretis fratres mei dilecti. Omnis donatio bona et omne donum perfectum superne desuper descendit a patre lucis, apud quem non est mutatio aut umbra vicissitudinis. Volens genuit^[a] vos verbo veritatis, ut sitis primitiæ quædam eorum, quæ sunt ab illo creata. Ita fratres mei dilecti, sit quisque homo celer ad audiendum tardus ad loquendum tardus ad iram. Ira enim viri justitiam dei non operatur. Quare deponentes omnem turpitudinem et abundantiam malitiæ cum benignitate accipite sermonem insitum, qui animas vestras potest servare.

[a] αποχυεω

Estote operatores verbi non solum auditores, vos ipsos decipientes. Nam si quis est auditor verbi non operator ille similis est viro, qui observavit faciem nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim sese ipsum, et abiit, et mox oblitus est, qualis esset. Qui vero incumbit^[b] in legem perfectam libertatis et in illa permanet, ille non est factus auditor oblivionis oblivious, sed operator verbi, ille beatus erit in operibus suis. Si quis vero statuit sese probum esse, neque cohibet compescit^[c] linguam suam, sed defraudans [de]cipiens cor suum, vana est illius cultura (religio). Purus vero et impollutus cultus coram deo et patre, hic est, visere pupillos et viduas in afflictionibus suis, sese ipsum immaculatum a mundo servare.

[b] παρακυπτω

[c] χαλινος

Cap II

Fratres mei dilecti ne fidem d.J.Chr:ex gloria habeatis
in ratione personarum. Si enim introiverit in
synagogam vestram vir opulentus in vestimento
fulgente, introiverit pauper in vestimento sordido, et
inspexeritis in illum, qui portat vestimentum fulgens
et dixeritis Tu sede hic quæso, et pauper[i] dixeritis
sta ibi aut sede hic sub scabellum meum

Audite fr. d., nonne deus elegit pauperes mundi,
divites in fide et hæredes regni, quod promisit illis, qui
amant eum, vos vero despexitis pauperem. Nonne
divites dominium in vos exercent, et vos ad tribunalia
trahunt? Nonne illi maledicunt bono nomini, quod
vobis inditum est. Certe si legem perficitis regiam,
secundum scripturam: diliges vicinum ut te ipsum,
bene facitis, si vero rationem habetis personarum,
injustitiam operatis, ut transgressores a lege arguti.
Qui enim totam legem servet [ser]vavit, in uno vero
offendat, reus factus est omnium. Qui enim dixit ne
stuprum comittas, idem dixit ne fures, si vero, non
stuprum commisisti, furasti autem, factus es
transgressor legis, ita loquimini et ita facite ut qui
secundum legem libertatis judicandi sunt. Judicium
enim immisericors illi, qui non facit misericordiam,
Misericordia adversus deum se jactat.

Quæ est utilitas, fr., si quis dicat sese habere fidem,
opera vero non habeat? num potest fides eum
servare? Si frater aut soror fuerint nudi et eguerint
cibo quotidiano, et dixerit qui vestrum illis: Abite in
pace, calescite et satiamini, non vero dederitis illis
necessaria corporis, quæ utilitas? Ita etiam fides, nisi
habeat opera, mortua est per se, sed dixerit quis: Tu
fidem habes et ego bona opera, ostende mihi fidem
sine operibus tuis et ego ostendam tibi fidem meam
ex operibus meis. Tu credis, deum [unum] esse, recte
facis et dæmones credunt et perhorrescant
(contremescunt). Vis cognoscere o homo vane, fidem
mortuam esse sine operibus. Abr. pater noster nonne
ex operibus justificatus est cum proferret I. f. in altare.
Vides fidem cooperari factis ejus et ex factis fides
perfecta est et impleta est scriptura, quæ dicit:
Credidit Abr. deo et imputatum est ei in justitiam« et
amicus dei vocatus est. Videte ex operibus hominem
justificari non ex fide sola. Simili modo nonne R.
adultera ex operibus justificata est, accipiens qui
emissi erant nuntios, et alia via ejiciens. Ut corpus
sine sp. mortuum, ita fides sine operibus mortua.

Cap III

Ne multi doctores sitis, intelligentes, gravius illos
judicium accepturos. in Multis enim offendimus
omnes. Si quis in verbo non offendit ille est perfectus
homo, qui potest compescere totum corpus. Ecce
equis frena in ora injicimus, ut obedient nobis, et ita
totum corpus circumagimus. Ecce naves, quum tantæ
sint et a ventis vehementibus agitatæ ducuntur
minimo gubernaculo, ubi intentio dirigentis voluerit.
Ita etiam lingua parvum membrum est et sese jactat.
Ecce exiguis ignis quantam silvam incendit! Et lingua
ignis mundus injustitiæ. Ita lingua constituta est in
nostris membris inquinans totum corpus, inflamans
rotam nativitatis et inflamata a Gehenna. Omnis enim
natura bestiarum ferarum et volucrum et reptilium, et
eorum, quæ sunt in mari a natura humana domatur et
domita est. Linguam vero nemo hominum potest
domare, malum, quod coerceri nequit, plena veneno
mortifero. Illa benedicimus deo et patri, illa
exsecramur homines ad similitudinem dei factos. Ex
eodem ore exeunt benedictio et maledictio Non
opportet, fratres mei, hæc ita fieri. Num [fons] ex
eodem foramine emittit dulce et amarum? Num
potest, fratres mei, ficus oleas proferre aut vitis ficus;
ita neque aqua salsa facere dulcem. Quis est sapiens
et intelligens inter vos? ostendat ex bona vivendi
ratione facta sua in mansuetudine sapientiæ. Si vero
studium acerbum habetis et contentionem in corde
vestro, ne vos jactetis et mentiamini adversus
veritatem. Non est illa sapientia desuper descendens
sed terrestris, sensualis, dæmoniaca. Ubi enim
studium et contentio ibi seditio et omnis res mala
Superna vero sapientia primum est sancta, deinde
pacifica, facilis, obsequiosa, plena misericordia et
bonis operibus, sincera, insuffocata, Fructus justitiæ
seritur illis, qui pacem faciunt.

Cap. IV.

Unde bella et certamina inter vos? Nonne inde, ex
cupiditatibus vestris in membris vestris pugnantibus?
Affectamini concupiscitis, non potestis. Interficitis et
intenditis, et non potestis adipisci, pugnatis et
certatis, non habetis propterea quod non rogatis.
Rogatis nec accipitis, propterea quod male rogatis, ut
in cupiditatibus vestris impensas facere possitis.
Adulteri et adulteræ, nonne scitis amorem mundi esse
odium dei. Qui igitur voluerit esse amicus mundi,
inimicus dei factus est. Aut putatis scripturam vane
loqui »Num Invidiam desiderat sp., qui inhabitat in
vobis«. Majorem dat gratiam Quare dicit: deus
superbis restitit, humilibus vero dat gratiam. Subjicite
igitur vos deo, resistite diabolo, et fugiet a vobis.
Accedite ad dominum, et appropinquabit ad vos.
Purgate manus, peccatores, et sanctificate corda
duplici animo. Affligimini et lugete et plorate. Risus
vester in luctum commutetur et lætitia Humiles estote
coram deo et eriget vos. Ne obtrectetis invicem, fr.,
qui obtrectat fratrem et condemnat, obtrectat legem
et judicat legem, si vero legem judicas non es
operator legis sed judex. Unus legislator et judex, qui
servare potest et perdere, tu quis es, qui judices

[d] χατηφεια (χατηφης demissus, moestus ex
χατω et τα φαη vultus facies.) moeror tristitia

alterum.

Age nunc qui dicitis hodie et cras ibimus in hanc vel
illam urbem, et commorabimur ibi annum et negotium
agemus et lucrum faciemus. Qui nescitis cras (qualis
est enim vita vestra, vapor ad breve temporis sp.
apparens deinde evanescens Quin dicere debeatis